

est illo, quia angelus minoris dignitatis in coelo, quo consistit, major est illo, quoniam aliud est, in acie consistere, aliud est, jam victor existere, et aliud, carne gravari, et aliud, absque gravitudine esse.

Incipit traditio cujusdam magistri graeci grammatici de accentibus graecorum nominum aliquorum, i. e. ubi et quem accentum habere debeant haec nomina subjecta. Sizigiam in »gi« dixit esse accentum quia exceptiva sunt.

Ex libro primo Cassiodori capitulum quintum decimum, sub qua cautela relegi debeat coelestis auctoritas. *Vos igitur, qui divinarum farciantur (vestiantur?)*¹).

Cap. XXXIX.

DE MENSURA CIBORUM.

Sufficere credimus ad refectionem quotidianam tam sextae quam nonae omnibus mensibus cocta duo pulmentaria propter diversorum infirmitates, ut forte qui ex uno non potuerit edere, ex alio reficiatur. In hoc loco notandum est, quia, cum dicit *De mensura ciborum*, non tantum dicit pro mensuratione ciborum, sed etiam pro numero ciborum. Sunt enim multae regulae, quae habent *mensis*, aliae habent *mensibus*; sed melius est *mensibus*, quam *mensis*, eo quod *mensibus* adinet ad jugitatem temporis, *mensis* vero ad intervallum temporis, eo quod potest una vice omnibus mensis ita agere aut plus aut minus. *Refectio cottidiana* varie intelligitur; alii sunt, qui intelligunt, ut, sicut iu diebus privatis, ita etiam in solemuibus et iu Pascha intelligunt,²) i. e. ut duo pulmentaria cocta debeant esse in solemnibus, sicut in diebus privatis, propter illud, quod patres nostri in privatis diebus manducabant ad nonam et in solemnibus ad sextam, et ita tantum manducabant ad sextam et seram, ut non plus quam in diebus privatis manducarent

¹) cf. Migne, tom. 70. col. 1126. usq. ad 1131. (de institutione divin. litterar. cap. 15.)

²) intelligant (?), intelligitur. Cod. Divion. ex Marten.